

his Conciliis diximus, de decretis Pontificiis intelligi debent. Docent enim necessitatem gratiæ contra Pelagium, illique tribuunt salutis initium contra Semipelagianos, de auxilio autem prædeterminante ne verbum insinuant. Quod maxime intelligere liceat ex epistola Cælestini, ubi summam omnes sententiæ, in quibus doctrina fidei ad gratiam pertinens continetur, referuntur ex Innocentio Papa, et Africanis Conciliis, et aliquid additur ex Zozimo Papa, quod in ejus decretis nunc non habemus. Et in fine subduntur illa verba: *Profundiores vero, difficilioresque partes occurrentium questionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere, quia ad confitendum gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus quidquid secundum prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt.* Cum ergo in superioribus regulis nihil de gratia prædeterminante doceatur, recte ex his ultimis verbis concludimus, ad expugnandos Pelagianos et Semipelagianos, et ad totam gratiæ necessitatem tuendam, illam non esse necessariam, ac proinde, cum aliunde videatur libertati repugnare, non esse admittendam. Propter hæc igitur plura de his epistolis Pontificum dicere non est visum necessarium, neque etiam pro nobis aliud speciale argumentum ex eis sumimus, præter negativum, quia sine auxilio prædeterminante sufficientem gratiæ doctrinam nobis tradiderunt, et Pelagianos et Semipelagianos confutarunt, quod in hoc puncto, ut sæpe ostendi, magnum est argumentum. Aliqua vero quæ nonnulli Pontifices, non ut Pontifices, sed ut Scriptores, vel Doctores ecclesiastici tradiderunt, in sequenti capite proponuntur. Ad Patres igitur veniamus.

CAPUT XL.

EX PATRIBUS AUGUSTINO ANTIQUIORIBUS PHYSICA PRÆDETERMINATIO REFELLITUR, ET VOCATIO CONGRUA COMPROBATUR.

1. *Scopus et ordo capituli.*—Ut veritatem lucidius ostendamus, et lectoris fastidium levemus, in tres classes Patres a quibus argumentum sumimus, distinguimus. In prima, ponimus eos qui vel Augustinum præcesserunt, vel usque ad ejus tempora vixerunt, et ab eo doctrinam ejus de gratia vix legere potuerunt; in secunda, solum Augustinum ipsum consti-

tuimus, tanquam præcipuum gratiæ Dei propugnatores; in tertia, ponimus subsequentes Patres, qui Augustinum imitati sunt.

2. *Scriptorum ordo.*—*Principia generalia quæ.*—Quod ad primi ordinis Scriptores spectat, quia, ut dixi, fere nullus eorum, præter Hieronymum, de divina gratia ex professo disputavit, non sunt ab eis testimonia expressa expectanda, sed tantum aliqua generalia principia, ex quibus per necessarias, vel multum probabiles illationes, eorum sententia colligi valeat. Hujusmodi autem principia duo esse censemus. Unum est quod efficaciam prævenientis gratiæ morali modo explicent sine physica, seu efficaci prædeterminatione; aliud est quod ad libertatem requirunt intrinsecam potestatem proximam sese flectendi ad utrumque, cui repugnat necessitas prædeterminationis ab extrinseco prævenientis, ut in lib. 3, cap. 43, allegavi; et statim alios addam, qui etiam in operibus gratiæ necessariam existimant eandem potestatem proximam ad utramque partem, ac proinde volunt in nostra potestate esse uti vel non uti gratia, qua a Deo prævenimur, quod repugnat physiciæ prædeterminationi, ut defensores ejus fatentur.

3. *Adducitur Chrysostomus ex Patribus Græcis.*—Primo igitur, ex Patribus Græcis, adduco Chrysostomum, homil. 19 in Genes., dicentem: *Quia liberi arbitrii esse nostram naturam fecit Deus, ipse quidem quæ sua sunt, per suam misericordiam, semper exhibet, et sciens abscondita et profunda mentis arcana, hortatur, consulit, conatusque nostros malos reprimit, et necessitatem utique non imponit.* Quomodo autem necessitatem non imponat, declarans, subjungit: *Sed congruis remediis appositis, totum jacere in ægrotantis sententia dimittit.* Quod non video qua veritate dici posset si ex parte Dei concursus gratiæ necessarius, non cum indifferentia offerretur, sed in unam partem prorsus voluntatem hominis determinaret. Et ideo indicat Deum, suadendo et vocando, congrua ponere remedia, juxta infinitam præscientiam suam. Unde homil. 22 sic inquit: *Quia in nostra potestate totum post gratiam relictum est, ideo peccantibus supplicia proposita sunt, et bene operantibus retributiones.* Ubi valde notanda est particula *post gratiam*, tum ad explicandam mentem Chrysostomi in aliis locis, quæ mox referemus, quia manifeste loquitur de gratia præveniente et constituyente voluntatem in actu primo; tum etiam quia sub illa gratia comprehendit omnem gratiam quovis modo antecedentem con-

sensum voluntatis, ut ex priori loco et ex ipso contextu manifestum est, et, illa stante, dicit totum relinqui in potestate voluntatis, non quia voluntas non indigeat concursu Dei ad actuale consensum, sed quia illum habet ad utramque partem paratum, et solum expectatur cooperatio ejus; at si præcederet gratia prædeterminans, illa profecto non relinqueret totum in nostra potestate, quam ad unum inevitabiliter flecteret. Et simili modo dixit idem Chrysostomus, homil. 9 in Joan.: *Deus neminem cogit suadendo et benefaciendo, voluntarios quoscumque et ultro sequentes allicit, et ad se trahit.*

4. Aliis præterea locis videtur Chrysostomus aperte prædeterminationem negare, ut homil. 17 in Joan., cum dicit: *Deus nostras non prævenit voluntates;* et homil. 12 ad Hebræos, dicens: *Nostras non prævenit voluntates, ne nostrum lædatur arbitrium;* et homil. 42 ad Populum: *Nostras non prævenit voluntates, ne nostram temeret libertatem.* In quibus locis verbum *antecedit* et verbum *prævenit*, non sunt quidem posita ad excludenda auxilia gratiæ excitantis, seu prævenientis, quæ antecedens etiam dici potest; nam in hoc sensu locutiones continerent errorem contra fidem. Ergo posita sunt ad excludendum motionem vi sua efficaciter prædeterminantem voluntatem. Nec juvabit solum dicere posita esse ad excludendam motionem necessitantem, tum quia jam est ostensum non posse præviam motionem sic determinare, nisi necessitet; tum etiam quia essent futilia et identica verba Chrysostomi; perinde enim esset ac si diceret: *Deus non necessitat voluntatem, ne tollat libertatem;* sensus ergo est non prævenire illam tali efficaci motione, ne libertatem ejus lædat, seu ne illam necessitet. Atque in eodem sensu exponit Chrysostomus, in dicta homil. 42, illud Psalm. 120: *Ne des in commotionem pedem tuum,* dicens: *Quia in nobis est dare, non in ullo altero,* ubi illa negatio non excludit omnem effectum Dei, ut per se constat, et ipse statim declarat; excludit ergo præmotionem, quæ efficaciter faciat voluntatem ad movendum pedem. Nam verbum illud Psalmi, *Ne des*, idem significat quod: *Ne eligas, aut voluntatem tuam ad hoc determines.* Et ideo sibi statim objicit: *Quid ergo? In Deo nihil est?* respondet: *Omnia quidem in Deo, sed non ita ut liberum in nobis arbitrium violetur.* Nihil ergo potuit excludere, nisi hanc efficacem præmotionem.

5. Præterea, homil. 5 ad Ephes., in illa verba: *Qui aliquando eratis longe, facti estis pro-*

pe, cum dixit: *Illud longe, et illud prope est solius liberi arbitrii, et electionis,* per illud *solius* non excludit adjutorium Dei; excludit ergo motionem, quæ determinationem voluntatis antevertat et indifferentiam tollat. Et eandem doctrinam late tradit in homil. de Ferend. reprehensionibus et conversione Pauli, in fine, ubi prius dicit: *Paulum non sola vocatio adduxit, sed et voluntas ejus;* et addit infra: *Vellem autem vos sermonem hunc diligenter memoria tenere.* Et infra, cum dixisset Deum ita trahere hominem ut non cogat, addit verba valde notanda: *Nam si ipse vult, nos autem non volumus, ad nostram salutem nihil proficiunt ea quæ alioquin efficacia sunt, non quia infirma sit ejus voluntas, sed quia cogere neminem vult.* Ubi primum expendo vocare Chrysostomum efficacia auxilia, quæ ad salutem nihil proficiunt, quia homo resistit, sentiens plane per hominem tantum stare ut effectum non habeant; deinde docere Deum non movere hominem, qui convertitur, neque etiam Paulum ipsum per talem motionem cui homo resistere non possit, non quia Deus id facere non possit, sed quia si faceret, hominem cogeret, id est, necessitaret. Et hinc paulo infra reprehendit excusationem eorum qui dicunt: *Si Deus volet, persuadent mihi ut convertar.* Quos non arguo (inquit), sed valde probo quod ad voluntatem Dei confugiunt, vellem autem nos etiam nostra offerre, et tunc dicere: *Si Deus voluerit:* Et infra: *Et alioqui si solam voluntatem Dei prætexas, nihil eorum quibus opus habes, adipisceris unquam,* quibus verbis, et multis aliis, docere præcipue intendit efficaciam gratiæ, quoad actuale determinationem voluntatis humanæ, non ex sola divina, sed simul ab humana pendere.

6. Ad hæc testimonia Chrysostomi, præsertim ad locum homil. 12 ad Hebr., respondet Cumel., Chrysostomum non solum ibi de auxilio prædeterminante, sed etiam de omni auxilio præveniente et excitante loqui, ac subinde errasse, et semina Semipelagiani erroris jecisse. Et in me acriter invehitur quod inepte locum illum citaverim, subticendo antecedentia et consequentia verba. Et nihilominus ex eadem homil. 12 suam sententiam probare conatur, quasi potuerit Chrysostomus sentire prævenientem gratiam divinæ inspirationis vel excitationis repugnare libertati. Et ad hanc posteriorem partem suadendam, adducit generalia verba ejusdem Chrysostomi, homil. 4 de Laudibus Pauli, quibus virtutem et potentiam gratiæ divinæ mirum in modum extollit,

et insuperabilem vocat. Et specialiter ponderat illa verba: *Noli (igitur) in prava permanere sententia, sed considera virtutem Crucifixi. Quod si temporum opportunitas cuncta fecisse dicatur, ad repellendum Theodotus et ejus discipuli proferentur, qui, cum eisdem fere quibus etiam Christus temporibus extitisset, et veritatem per quædam etiam signa impugnare tentasset, repente destructi sunt, quæ verba videtur inducere contra gratiæ congruitatem, quia sentit Chrysostomus efficaciam ejus, non ex temporis opportunitate, sed ineffabili Christi virtute provenire.*

7. *Notanda Chrysostomi verba circa vocationem.* — Hæc vero objectio et reprehensio efficaciam dictorum testimoniorum magis illustrat, cum non possint adversarii illa effugere, nisi attribuendo Chrysostomo tum Semipelagianum errorem, tum contradictionem in propria doctrina. Ego vero imprimis censeo Chrysostomum vere et catholice sensisse de initio salutis et justitiæ, quod ex gratia sit, et non ex nobis. Hoc late probavi in dicto cap. 8, lib. 4 de Prædestinat., verbis expressis ejusdem Chrysostomi, homil. 28, et 38 in Genes., homil. 12 in 1 ad Cor., et 38 ad Popul., et aliis quæ ibi videri possunt. Et idem de Chrysostomo sensit Driedo, locis infra in proprio capite allegandis; et Episcopus Lucensis, in Advertend. ad primum tomum Chrysostomi, quæsitio 9, ubi hæc verba ex Chrysostomo refert: *Nos quidquid boni habemus, ex prævenientis, vocantis, et semper incipientis gratiæ benignitate, habemus; nullum est in nobis meritum quod non sit donum Dei, cujus quidem tanta est bonitas, ut velit nostra esse merita, quæ sunt ipsius dona.* Non tamen designat locum, sed ait: *In initio homiliæ citatæ.* Solum autem citaverat homil. 42 in Genes., et 17 in Joan., in quibus illa non reperio, nec in alia homilia eadem formalia verba invenio, quamvis in sententia habeantur in dicta homil. 12 ad Corinth., juncta homilia de Adam et Eva. Sunt vero alia valde notanda verba ejusdem Chrysostomi, homil. 70 in Matth.: *Verum, cum per gratiam vocati sumus, cur hæc tam accurate disputat? Quia, videlicet, vocatio et purgatio ipsa ex gratia sunt; ut vero vocatus, jam et candida indutus veste, seipsum non maculet, ad diligentiam quoque pertinet vocatorum. Nam non quia dignus, sed quia gratia tibi largita est, vocatus fuisti, oportebat te vicissim pro gratia nonnihil reddere, etc.* Quid clarius? Et in lib. de Compunct. cord., circa finem, dicit nos mirari Sanctos, non

propter signa, sed propter animi virtutes; et ait, *quod utique nutu quidem divino, et gratia celesti, proprio tamen studio operati sunt.*

8. His addo, Chrysostomum nunquam in hoc puncto fuisse sibi contrarium, aut contraria docuisse. Probatur primo, quia omnia quæ dicit possunt facile sine contradictione intelligi, distinguendo gratiam, tempora, et personas de quibus loquitur, ut in dicto capite 8 fuse declaravi. Cum enim dicit Deum expectare voluntates nostras, ut bonum eligant, et virtutem operari incipiant, ut eo modo gratiam a Deo obtineant, loquitur ad fideles, et jam vocatos; proponit modum et rationem obtinendi abundantiora gratiæ auxilia, vel dona. Cum vero omnia bona tribuit gratiæ, tanquam origini et principio, loquitur simpliciter de toto ordine auxiliorum gratiæ. Et ita etiam exposuit dictam homiliam 12 ad Hebr. idem Episcopus Lucensis, in Annotat. ad tom. 4, quæsit. 31, juncto quæsitio 13 ad 2 tom., quod ibi allegat. Secundo probatur, quia sunt tam multa et varia loca, in quibus nunc hoc, nunc illo modo loquitur, ut incredibile sit, vel ignoranter sibi contradixisse, vel toties sententiam mutasse.

9. Et interdum in uno eodemque loco agnoscit præviam Dei motionem de se efficacem, cui semper voluntas possit resistere, ut maxime videri potest in verbis proxime allegatis, ex homilia de Ferendis reprehensionib. et conversion. Pauli. Et in dicta homil. 4 de Laudibus Pauli, in principio, ubi initium gratiæ et miserationis Dei erga illum ponit in vocatione, statim vero subdit: *Sed nullus hoc audiens ipsam vocationem necessitatem putet, si quidem potuit redire unde discesserat, etc.* Et cum postea præviam et fortem gratiæ præmotionem descripsisset, interrogat: *Et cur, inquit, hoc non ante factum est?* Respondet: *Ne quæras istud, nec velis esse curiosior, sed concede incomprehensibili Dei providentiæ salutibus hominum notis sibi temporum opportunitatibus ordinare; sic enim ipse fatebatur, dicens: Cum autem placuit ei qui me segregavit de utero matris meæ, vocavit per suam gratiam, ut revelaret filium suum in me. Nihil igitur tu scruteris amplius, quia hæc dicit et Paulus.* Et addit paulo inferius: *Ab ipso itaque discamus quoniam nullus ante Paulum, neque ipse Paulus, ex se tantummodo illum invenit, sed ipse se Christus ostendit, et ideo dicebat: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Per quæ omnia evidenter declarat initium salutis esse ex solo Deo. Unde interrogans ulterius cur

Paulus non fuerit antea persuasus, licet doctrinam et miracula Christi ignorare non potuerit, respondet: *Quia necdum utique vocatus fuerat a Christo, vocatione utique speciali et opportuna; et statim repetit: Tu vero hoc audiens, noli vocationem istam necessitatem putare, non enim Deus cogit homines vocando, sed post vocationem quoque permittit eos propriarum esse dominos voluntatum.* Unde inferius, ad finem homiliæ, dicens per Pauli linguam Deum bonis mundum replevisse: *Per illam, ait, quam in ipsum contulit gratiam. Quia enim dignam tali dono devotionem gerebat, expressa in illo etiam gratia coruscavit.* Ubi gratiam videtur Paulo tribuere, non tamen primam, nec ex se, sed ut cooperanti priori gratiæ. Ac tandem in eodem sensu eundem sermonem ad omnes extendit.

10. *Chrysostomum non adhæsisse errori Semipelagianorum, nedum illius auctorem fuisse.* — Ex quibus ulterius colligo non adhæsisse Chrysostomum errori Semipelagianorum, nedum auctorem illius fuisse, quia in multis locis contra eorum sententiam expresse docet, et in aliis non in eorum sensu loquitur, nec sibi contrarius est, ut ostendi, tum hic, tum in dicto cap. 8. Unde, licet in aliquibus locis minus caute fortasse loqui videatur, causa fuit, quia, nondum illo errore exorto, securius ad fideles, et jam a Deo vocatos, loquebatur, vel fervore loquendi, et movendi eos ad exercitium virtutis, vel zelo impugnandi hæreticos, quorum error contra libertatem arbitrii tunc se parabat. Et hoc est quod Sixtus Senens., Episcopus Lucensis, et alii, dicunt excessisse Chrysostomum aliquando ut libertatem arbitrii contra hæreticos defenderet; intelligi enim debet hic excessus in modo loquendi, magis quam in sensu doctrinæ, et forte ille qui nunc paret excessus propter novas hæreses, pro illorum temporum statu non erat; quæ doctrina est consentanea Augustino, lib. de Prædestin. Sancto., c. 14, et lib. de Don. persever., c. 9.

11. Præterea est manifestum, ex dictis, non potuisse Chrysostomum negare veram prævenientem gratiam, eo quod existimaverit illam esse contrariam libertati. Nam expresse in dicta homil. 4 de Laudibus Pauli, ponit vocationem præviam, et non inferentem necessitatem; et homil. 12 ad Corinth., omnia recte facta, etiam fidem, dicit esse ex vocatione; et homil. 28 prævia gratiæ omnia tribuit, etiam si libere fiant; et dicta homil. 22 dicit post gratiam consensum relinquere in nostra potes-

tate. Et in aliis locis vocationem illam, quæ necessitatem non infert, docet esse ita posse opportunam et congruam, ut infallibiliter habeat effectum. Sicut de vocatione Pauli significavit in dicta homil. 4, in verbis supra citatis, et homil. 31 in Matth.: *Quemadmodum, ait, Petrum et Joannem vocavit quando obtemperaturos sciebat, sic Matthæum quoque tunc vocavit, quando miraculorum fama perdomitum minime reluctaturum videbat.* Et in hoc nihilominus dicit ostendi virtutem vocantis ad cor hominis transmutandum. Et postea, commendans Matthæi obedientiam, ait: *Mirabili hac obedientia testimonium vocanti perhibuit, quod opportune ipsum vocaverit.* Et similiter in homil. 65, exponens parabolam vineæ, dicit Patrem-familias vocasse operarios in illis horis in quibus obtemperaturi erant, quia nimirum congrue et efficaciter illos vocavit. Idemque sentit de centurione, super Psal. 145. De illo vero dicit propter opera fuisse dignum vocatione, quia loquitur de vocatione secunda, quæ per Petrum facta est, jam enim erat fidelis. Quamvis ille modus loquendi possit etiam pie interpretari, ut dignitatem lato modo vocaverit aptitudinem quamdam, et dispositionem quasi physicam, ad non resistendum vocationi, quæ non est ratio meritoria vocationis, sed removens prohibens, quod faceret vocationem vel non dari, vel non esse congruam.

12. *Concluditur.* — Ultimo, ex dictis concludo cum Chrysostomus, in homil. 12 ad Hebr., et 17 in Joan., aliisque locis, dicit Deum non prævenire nostras voluntates, non posse aliter intelligi quam de præventionem per motionem necessitantem, seu, quod perinde est, physice prædeterminantem. Sic enim docet aliis locis, licet præcedat vocatio congruentissima, nunquam esse necessitatem, sed relinquere in voluntate veram potestatem, et dominium utendi illa, vel non utendi, quod dominium repugnat auxilio prædeterminanti, nam propterea defensores ejus dicunt non subdi voluntati, sed illam sibi subdere. Et ideo etiam Chrysostomus post vocationem totum videtur ponere in arbitrio voluntatis, non quia sola sine ope gratiæ possit præstare consensum, illam enim gratiæ necessitatem sæpissime docet; sed quia semper est in potestate voluntatis vocationem secundum se spectatam facere inefficacem; et e converso, ab illius libera potestate et cooperatione, efficientia actualis vocationis proxime et immediate pendet. Neque propter hoc Chrysostomus cum Se-

mipelagianis sentit, gratiam subjiendo libero arbitrio, sed usum prævenientis gratiæ, quoad subsequentem actum secundum, libertati subjiicit, quia non exit in actum nisi voluntas velit, sicut habitus infusi subjiuntur voluntati quoad usum, etiamsi gratis infundantur et recipiantur.

13. *Concluditur idem sensus ex aliis Patribus Græcis.* — Denique idem sensus confirmatur ex aliis Patribus Græcis, nam Justinus antiquior Chrysostomo, in lib. Respons. ad plures necessar. quæst., in quæst. 8, durior locutionem habet, ita necessario interpretandam. Nam eo quod Deus liberum arbitrium cum eligendi potestate nobis concessit, infert: *Non igitur causa est Deus virtutis nostræ, aut vitii, sed propositum nostrum et voluntas, quæ quidem sententia quoad vitia sine ulla limitatione verissima est, quoad virtutem autem necessario est limitanda et explicanda.* Neque enim credibile est sanctissimum et sapientissimum virum voluisse negare, Deum esse causam simpliciter virtutis humanæ. Negat ergo esse talem causam, quæ hominem adigat, et sola sua vi determinet ad virtutem, sed illi liberam determinationem permittat, quam nomine propositi declaravit. Et quoad hoc solum æquiparat virtutem et vitium; nam sicut Deus non determinat voluntatem ad malum, ita non prædeterminat ad bonum, utique motione illa physica et de se efficaci. Unde quæst. 9 subjungit: *Ad quæ voluntas nos impellit (utique determinando se), eorum causa, vel corona donamur, vel afficimur supplicio. Deus enim nobis dedit facultates ad agendum, sed eas libertati voluntatis iudicioque subiecit.* Ubi per facultates (ut doctrina sit solida et universalis, ac responsio sufficiens) necesse est ut, tam gratiæ quam naturæ principia intelligat. Et in omnibus ad libertatem requirit, ut voluntatis libertati subjectæ sint. Unde concludit: *Ad propositum et voluntatem gubernare Deum eas facultates, non ad naturam.* Et simili modo exposuimus supra, in lib. 3, Patres Græcos, qui aliquando significant actus liberos non esse ex prædefinitione, seu providentia communi, utique agentibus non liberis, quorum actiones ad unum ordinatæ sunt; de quo videri potest etiam Bellarminus, lib. 4 de Grat. et lib. arb., cap. 7, in fine.

14. *Refertur Gregorius Nyssenus.* — Nemesius. — Præterea refertur Gregorius Nyssenus, in oratione magna catechetica, cap. 3, ubi, adversus eos qui dicunt posse Deum, si velit, eos qui resistunt, compellendo attrahere ad susci-

piendam prædicationem, inquit: *Ubi est ergo liberum arbitrium, ubi est virtus, ubi est laus eorum, qui se recte gerunt? Est enim solum inanimorum, aut eorum, quæ sunt expertia rationis, aliena voluntate ad id quod videtur adduci.* In quibus verbis hæc ultima maxime expendo: nam contrariæ sententiæ auctores docent voluntatem nostram, sola Dei voluntate, vel motione aliqua per illam solam immissa, ad volendum id quod proponitur adduci; quomodo enim ab alio non ducitur, qui ab alio determinatur? Hæc tamen oratio non habetur in volumine operum Nysseni, quo utor, et ideo sensum ejus in hac parte accuratius expendere non potui. Et propterea etiam omitto quæ ab utriusque sententiæ defensoribus nomine ejus citantur, lib. 7 Philosoph., cap. 1, et lib. 8, cap. 4, quia hoc etiam opus videre non potui. Alii, loco illius, referunt Nemesium in lib. de Natur. homin., qui extat in tom. 9 Biblioth. Sanctor.; in toto autem illo nihil dicit quod multum ad causam præsentem faciat, præter id quod de libero arbitrio et præscientia conditionata in prolegom. 1 et 2 notavimus, et quæ in lib. 3, c. 48, ex eodem adduximus contra prædeterminationem Dei ad actus malos.

15. *Cyrillus Alexandrinus.* — Clarius de hac re testimonium nobis tribuit Cyrillus Alexandrinus, lib. 8 contra Julianum, prope libri finem, ubi in § *Sed fortassis dicerent adversarii, hanc illorum objectionem proponit: Quare filius Dei factus est homo, ut homines ad se converteret, cum posset, siquidem est vere Deus, annuendo solum, et ineffabili virtute terrena corda transmutando, facere ut vellet, et saperent sibi placentia, religioseque viverent?* Et post aliqua in § *Si autem,* respondet: *Omnis quæ in cælis rationalis et mentalis creatura liberum habet motum ad faciendum quæcumque voluerit, et propensio in unoquoque a necessitate libera est. Licebat enim sic et non aliter bonos celebres fieri, et honores assequi, justeque condemnari improbos. Itaque, ut et nos quoque ad quodvis bonum sponte incederemus, consilio, non coacte, vivere super terram homini permittit Deus.* In quo responso, illi modo in objectione proposito, transmutandi corda, ineffabili virtute faciendo ut velint, utique physice et inevitabiliter, aperte opponit modum operandi libere et consilio, ideoque censet illum modum motionis et transmutationis cordium contrarium esse libertati, quod in § sequenti declarat, dicens: *Itaque, si ineffabili quadam divina virtute et efficacia usus, mutasset singulorum mentem ad bene agendum, et indidisset*

postea bonum, a quo ægerrime postea discedere posset, et non sponte, ultra non esset fructus mentis, nec res digna laude, sed necessitatis. Profecto, licet Cyrillus voce physice prædeterminationis non utatur, eisdem verbis, quibus adversarii eam definire solent, illam describit; dicunt esse, vel ipsam Dei omnipotentiam, quæ ineffabili virtute et efficacia corda transmutat, vel motionem quæ sit illius virtutis instrumentum, eamque virtute infallibili modo contineat. Docet ergo Cyrillus Deum non hoc modo movere et transmutare corda, etiam in operibus gratiæ, sed persuadendo signis et doctrina mirabili ultra legem, et mentem ac corda hominum illustrans, ut ibi late prosequitur.

16. *Cyrillus.* — Unde idem Pater, lib. 4 in Joan., cap. 6, exponens verba illa: *Erunt omnes docibiles Dei,* dicit: *Non enim, cum dicat neminem posse ad se venire, nisi Pater traxerit eum, vi quadam cogi trahique credentes putandum est, sed motione, doctrina, revelatione ineffabiliter facta, ut ille solus novit.* In quibus verbis et excludit necessitantem præmotionem, et moralem inductionem docet; dumque ait *ineffabiliter,* agnoscit necessitatem internæ illuminationis ac doctrinæ; addens vero, *ut Deus novit,* gratiam vocationis efficaci insinuat, quam Deus ineffabili modo præbet, prout novit homini congruere, quæ est Augustini phrasid. Et in cap. 7, circa illa verba: *Omnis qui audit a Patre, et didicit, venit ad me,* inquit: *Ubi auditus disciplinaque divina adest, ibi fides, non vi, sed persuasione oritur. Patrocinio igitur Dei Patris, non vi, fideles Christum agnoscunt;* ubi expendo illos duos modos, vi aut persuasione, ponere ut immediate oppositos, ac subinde prædeterminationem, quæ persuasionem non attrahit, vim quamdam inferre. Sub persuasionem autem comprehendit omnem moralem modum alligandi voluntatem, ut constat. Est etiam egregium testimonium Cyrilli, lib. 11 in Joan., cap. 21, ubi circa illa verba: *Nemo ex eis perit, nisi filius perditionis,* quærit: *Quomodo Apostolos servavit Christus, aut cur Judæ non profuit hæc salvatio?* Et in summa respondet: *Gratia in aliis effulsit, salvavitque omnes, qui cooperantem ei voluntatem tradiderunt; sic enim salutis nostræ modus dispositus est. Judas autem (inquit paulo antea) nulla necessitate, sed proprio iudicio fecit.* Et addit inferius verba notanda: *Quod si proditor æqualiter aliis discipulis Salvatoris auxilium non habuisset, frustra hæc a nobis dicerentur; sin autem non mi-*

nus quam cæteri divina gratia regebatur, sed suo ipsius iudicio in profundum perditionis elapsus sit, quomodo etiam non servavit eum Christus, qui suum patrocinium ei præstitit, qui, quantum ad ferendam opem illi attinuerit, servasset hominem, nisi ultro ille in perditionem insilisset, quæ omnia subsistere non possunt, si auxilium prædeterminans necessarium, ut satis est in superioribus demonstratum.

17. *Addendus Clemens Alexandrinus.* — *Irenæus.* — *Marcus Eremita.* — *Isidorus Pelusiota.* — His addi potest Clemens Alexandrinus, lib. 1 Pædagog., cap. 9, quatenus dicit uti Deum omnibus suæ sapientiæ machinis, ad voluntates hominum ad se trahendas, ubi expendo non tam potentiam quam sapientiam exaggerare, quia non utitur Deus absoluta potestate ad determinandam voluntatem ad unum, se solo necessitando ex suppositione motionis suæ, sed utitur sapientia ad suadendum, cooperante etiam potestate. Atque ita post illa verba declarat hanc tractionem Dei per internas excitationes et moralem inductionem. Et similem doctrinam habet lib. 2 Stromat., § 8, et lib. 5, parum a principio. Quibus locis ita conjungendam docet gratiam cum libertate, ut in voluntate sit integra potestas, nam illud est liberum, *cujus ex æquo sumus domini,* ac proinde in nobis esse vocationi obtemperare vel repugnare, post moralem inductionem. Quamvis enim non hæc omnia simul doceat, tamen omnia loca conferendo, hæc est ejus mens et doctrina, in qua tantum a prædeterminatione abest, ut ea quæ docet non possint cum illa subsistere. Eodemque modo adjungi potest Irenæus, lib. 5 contr. Hæres., cap. 1, nam similiter docet convertere Deum homines non vi, sed secundum suadelam, quemadmodum decebat Deum suadentem, et non vim inferentem, accipere quæ vellet. Item Marcus Eremita, in opusc. de His qui putant ex operibus justificari, cap. 56, dicens: *Occulte gratia nobis auxiliari non desinit, in nobis autem situm est pro virili bonum facere, aut non facere; primum quidem divinitus excitat conscientiam,* etc. Denique etiam referri potest Isidorus Pelusiota, lib. 2 Epistolar., epist. 72, ubi eodem modo explicat præmotionem Dei per vocationem, quæ unumquemque pro sua voluntate addiscere et salutem assequi relinquat, et talem dicit etiam fuisse vocationem Pauli, et similes.

18. *Additur Philo.* — Ultimo, ex Græcis